

cat, quòd in internâ mentis operatione consistat: quanquam is mentem non sibi relictam, sed Spiritu S. illustratam denotari, unâ moneat: uti mox videbimus.

§. 16. (3) Sociniani longiùs progrediuntur, statuentes, quòd *κατὰ λόγικὴν* sit cultus rationi subjectus. Smalzius contra Franz. p. 421. refutaturus, quæ scripserat B. Franz. de ratione humana, quòd plus secundùm suas vires mysteriis divinis incumbat, eò magis fulgore illorũ in acie sua perstringatur, aded, ut iisdem omnem fidem derogare, imò repugnare incipiat, inter alia dicit: Si hoc verum est, frustra *λογικὸς* cultus noster sub nomine Fœdere appellatus est. Et in præf. ad Lectorem, quam refutationi Thel. B. Franzii præfixit p. 3. inquit: inertiam esse crassam valde Franzii, quòd statuat, rationem non intelligere mysteria DEI, imò potius eadem pro stultitia habere; & subjungit: Nonne rationalis, *λογικὸς* cultus noster christianus esse dicitur ab Apostolo, tum ob alias, tum ob hanc causam, quòd totus rationi ita sit conformis, ut jure *δύνασι* Legis opponi possit. Slichting. Comment. ad h. l. sic explicat: Rationalem) docet Apostolus cultum Christianorum, quem DEO exhibent, longè præstantiorem esse quàm Judæorum, quorum cultus in animalium oblationibus & cædibus non multum rationis habebat & c. & porrò, rudimenta hæc erant cultus divini, per quæ homines exercebantur ad verum ac spirituale, & rationi omni ex parte consentaneum DEI cultum, quem Christus, maturescentibus seculis adveniens doceturus erat. Ulterius verbum *ὑμῶν*, vestrum, sic *περιφραζέται*: Vobis Christianis proprium, quò vos DEVM colitis & colere debetis: notandum est, in christiana religione nihil esse debere, quòd rationale non sit, proinde quòd cum manifestis rationis principiis non congruat; omnes contradictiones & opiniones adversa fronte in seipsas incurrentes procul ex christiana religione facessant.

§. 17.